



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum III. Fraternitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS XXVIII.

DE SEPULTURIS.



Estamentum, & omnis voluntas ultima, morte testatoris, confirmatur, ita ut antea non valeat, sed revocari possit, teste Apostolo ad *Heb. 9. v. 16.* & habetur in *L. 4. ff. de alimentis legatis.* Idem postquam de testamentis & successoribus ab intestato, quæ & ipsæ ante mortem non fiunt, agitur nunc de Sepultura, quæ morti proxima est.

CAPITULUM I.

Nos.

PARAPHRASIS.

Assertum primum Leonis III. Quisque fidelium sepeliri debet in eo loco sacro, ubi sibi elegit; sin autem non elegit Sepulturam, tunc in Sepultura majorum; sin talem extra parochiam suam non habeat, tunc in parochia sepeliri debet. Dixi de hac re *lib. 3. tra. 5. c. ult. q. 3. & 4.* Assertum secundum. Si quis extra parochiam sepeliatur, Ecclesia, in qua sepelitur, portionem Canonicam dare debet, ex mortuarijs Ecclesiæ parochiali. Vide *Clement. unicam hoc tit. Trident. Sess. 25. c. 13. de reformatione.*

CAPITVLVM II.

Relatum.

PARAPHRASIS.

Si Religiosi non Zelo Christiano, sed avaritiæ studio Sæculares illaqueare student, ut nihil parochiæ relinquunt, sed omnes suas res monasterio tradant, hæc fraus, & illicita attractio ipsi prodesse

non debet. Hac re dicitur in *frat. major. c. de his 4.*

CAPITULUM III.

Fraternitatem.

PARAPHRASIS.

Regulares in Ecclesijs suis jus sepeliendi habent, quare, si aliquis Sepulturam eorum in ipsorum Ecclesia habeat, & ipsam Ecclesiam sibi eligat, irrationaliter (seu quia fraude inductus, seu contra Ecclesiam, in qua sibi Sepulturam eligere jus sepeliendi non habet) tunc corpus defuncti iuste repetent Regulares, ut in ipsorum Ecclesia cum majoribus defuncti sepeliatur. Hic debet esse sensus huius cap. ut apparebit in *c. 2. §. si quis eorum tit. in 6.*

CAPITULUM IV.

De his.

PARAPHRASIS.

Episcopus Spalensis questus est apud Pontificem, quod aliqui se cum bonis suis ad Religionem transferant, nihil sibi, vel Ecclesijs, à quibus salutis pabulum temperunt, relinquentes. Respondet Papa si in ægritudine constituti ad Religionem transeant, & in ea ægritudine moriantur, tunc portio Canonica Ecclesijs parochialibus exhiberi debet; sin autem, dum sani sunt, vel non morituri, ad monasterium se transferant, & bona sua conferant, cogi non possunt, ut dictis Ecclesijs aliquid tribuant, cum liberum ipsi sit, bona omnia quibuslibet tum Religiosis, tum privatis etiam personis largiri.